

- id misero restat mihi mali si illum potest,
 quī aliquoi rēist, etiam eum ad nequitiam adducere.
 ubi ego illum quaeram? credo abductum in ganeum 5
 360 aliquo: persuasit ille inpuru', sat scio.
 sed ecce Syrum ire video: hinc scibo iam ubi siet.
 atque hercle hic de grege illost: si me senserit
 eum quaeritare, numquam dicet carnufex.
 non ostendam id me velle. *SY.* omnem rem modo seni 10
 365 quo pacto haberet enarramus ordine:
 nil quicquam vidi laetius. *DE.* pro Iuppiter,
 hominis stultitiam! *SY.* conlaudavit filium;
 mihi, quī id dedissem consilium, egit gratias.
DE. disrumpor! *SY.* argentum adnumeravit ilico; 15
 370 dedit praeterea in sumptum dimidium minae;
 id distributum sane est ex sententia. *DE.* em
 huic mandes siquid recte curatum velis!
SY. ehēm Demea, haud aspexeram te. quid agitur?
DE. quid agatur? vostram nequeo mirari satis 20
 375 rationem. *SY.* est hercle inepta, ne dicam dolo, atque
 absurda. piscis ceteros purga, Dromo;
 gongrum istum maximum in aqua sinito ludere
 tantisper: ubi ego venero, exossabitur;
 priu' nolo. *DE.* haecin flagitia! *SY.* miquidem non placent 25
 380 et clamo saepe. salsamenta haec, Stephanio,
 fac macerentur pulchre. *DE.* di vostram fidem,
 utrum studione id sibi habet an laudi putat
 fore si perdiderit gnatum? vae misero mihi!